



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

III. De Rebus, super quibus Pacta ineuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

23. sicut contractus alienationis rei immobilis alicujus Minoris sine decreto iudicis, & Feudi à Vasallo sine consensu domini directi celebratos, illius decreto & autoritate, & istius consensu, ex intervallo supervenientibus, ratificari docent Bartolus in l. Si quis 25. §. Jussum ff. de Acquirend. hered. n. 5. & Baldus in l. Cum ipsa 4. C. de Contrab. empt. n. 5. cujus tamen §. Posthac cit. traditum generale dogma casu, quò ratihabitio fit solenniter & ab omnibus, à quibus actus ab initio geri debebat, procedere, arg. l. 1. C. Qui admitt. ad bonor. poss. ex communi aliorum sensu negat Sarmiento cit. n. 1. Sed hinc ulterius

40. Dubium oritur, an ejusmodi pactio & contractus, Capituli & Superioris consensu ex intervallo supervenientibus, ita ratificetur, ut perinde habeatur, ac si illorum consensus in ipso contractu intervenisset; ac proinde iste ab initio validus fuisset. Negat id Panormit. in c. Cum nos cit. n. 5. eum non nisi à tempore consensùs supervenientis validum reputari, desumens ex Regulis, Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit, quæ est 18. in 6. & Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere, quæ est 29. ff. de R. I. Verùm, quia superveniens illorum consensus fictione Juris ad celebrati contractus temp⁹ retrahitur, ec. cit. & propterea contractus non per solum tractum temporis, sed per legitimum consensum supervenientem ratificatur, ut notat Glossa Magna in Reg. cit. & præterea cum Ecclesia contrahens istius favore à contractu resilire, etiam ante prius omisso consensùs adventum non potest, relatæ duæ Regulæ non obstant, quò minus superveniente legitimo consensu contractus ita ratificetur, ut perinde habeatur, ac si ab initio validus fuisset:

quod cum Navarro & aliis antiquioribus non obscure sentit Suarez Tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 27. n. 20.

ARTICULUS III.

De Rebus, super quibus Pacta incuntur.

SUMMARIUM.

41. Pactum, generaliter de omni re permiffum,
42. Non valet, si de re impossibili.
43. Vel inhonesta ineatur:
44. Aut invitet ad delinquendum.
45. Non valet, quò renuntiatur hereditati paterne.
46. Obligat tamen ei adjectum juramentum:
47. Nonnullis casibus exceptis.
48. Non valet initium de successione viventis,
49. Certi & determinati.
50. Valet tamen ei adjectum juramentum,
51. Licet testandi libertatem adimat.
52. Votum aliena mortis per accidens inducat,
53. Et bonis moribus Civilibus adversetur:
54. Non valet initium de successione in beneficio,
55. Vel de re spiritali danda pro temporalis:
56. Non etiam pro alia re spiritali.

Pacta iniri possunt de omni facto, & de quacunque re privata, quæ in commercio hominum existit, aut futura & propria est pacifcentium, l. Juris gentium 7. §. 14. l. Pactum 46. in fine ff. hic & l. Interdum 73. ff. de

ff. de V. O. dummodo turpitudinem non contineant, contra leges Constitutionesque non ineantur, & Jus publicum non lædant, l. Jus publicum 28. ff. Et l. Pactum 6. C. hic: propter quam causam invalida sunt Pacta,

42. Primò, quibus res aut factum naturâ aut aliunde impossibile pollicemur, *l. Stipulor 35. ff. de V. O. Et l. Impossibile 185. ff. de R. I.* sic enim non valet pactio de solis aut alterius cœli sideris cursu impediendo: aut cum moribundo inita, ut post obitum reversus de suo aut aliorum vitâ functorum statu, vel alterius vitæ ratione amicum edoceat, cum; quòd in paciscentium potestate non sit hujusmodi promissionem adimplere: tunc verò; quòd curiosâ, imò temerariâ hujusmodi conventionem petatur manifestatio eorum, quæ Deus justissimâ ratione & nostrò etiam bonò, mortalibus voluit esse occulta, *Zœsius in ff. ad hanc Rubric. n. 17.*

43. Secundo, quibus aliquid inhonestum & illicitum, *vg. sacrilegium, homicidium, furtum nos commissuros promittimus, l. Generaliter 26. ff. de V. O.* quia, quòd licitè & Jure fieri non potest, homini possibile non censetur, *can. Faciat 22. q. 2.* ubi *Glossa Solum illud*, inquit, *dicimur facere posse, quòd justè facere possumus.* Cui consonat, imò faciem prætulit *Ethnicus JCT⁹ Papinianus l. Filius 15. ff. de Condit. institut.* ubi verè & prorsus *Christianè* ait, *Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, reverentiam nostram, & generaliter, quæ contra bonos mores sunt, nec facere nos posse, credendum est.*

44. Tertio, quæ ad delinquendum, puta inferendam injuriam, homicidium, furtum, aut aliud maleficium liberius perpetrandum invitant: ut sunt, quibus injuriæ, doli & cujuscunque delicti pri-

mum committendi Actio vel Accusatio remittitur, *l. Si unus 27. §. 4. ff. de i. q.* quòd, ad sequiora pronos mortales non solum ad delicta non invitari illecebri, sed istorum penam timere, publicè interest. De injuriæ autem illatæ, furtive doli in nos jam commissi Actione remittenda; quòd id ad delinquendum non invitet, pacifici Jure non prohibemur, *cit. §. 4. Zœsius l. cit. n. 18.*

Quarto, pactum de successione hereditaria viventis negativum, *vg. quòd filia, dum in matrimonio collocatur, hæc acceptâ dote contentam fore, nullatenus ad paterna bona regressum habebit, pollicetur; talia enim pacta sine renuntiatione hereditatis diserte reprobantur, l. fin. ff. de Suis & legiti. hered. Et l. Pactum 3. C. de Collat.* ex qua dispositione ejusmodi filia parti intestato, dummodo dotis nomine accepta cum fratribus conferat, succedere potest. Ratio, quâ ad hoc statuendum legum conditores permoti sunt, fuit partim; quòd conveniens esse judicarent hereditatem dari vel auferri certis dumtaxat & Jure approbatis modis, & non privatis petitionibus initis cum testatore: cuius ob hoc viventis nulla hereditas est, *l. 1. ff. de Hered. Et ali. vend. partim; quòd liberos ad reverentiam & obsequia progenitoribus suis exhibenda, sicut futuræ hereditatis spe excitari & reddi promptos: sic istâ præcisâ facillè segnitiores reddi posse, præviderent, Zœsius l. cit. n. 36.*

Et si verò Civili Jure hæc ita constituta sint, de Jure tamen Canonico, si ejusmodi pacto *vg. filia renuntiationi, nullâ vi dolove extortum juramentum adjectum sit, hoc omnino observandum est, ex celebri Constitutione Bonifacii VIII. c. Quamvis 2. in 6. relata: quæ hujus ea ratio redditur; quòd ejusmodi juramento*

juramentum non vergat in dispendium salutis aeternae, & non redundet in alterius detrimentum; cum ejus observatio nec contineat peccatum, neque ullum praerudicium afferat tertio, sed soli juranti: ob cujus favorem, ne à successione exclusus deterioris conditionis evadat, quam ceteri liberi; & propterea à paternis obsequiis facile retrahatur, ejusmodi pactum legibus praecipue est improbatum: qui proinde favori, pro se principaliter introducto, renuntiare valet *arg. c. Si de terra 6. de Privileg.* Ita Interpp. *in c. cit.* & ceteri DD. passim: qui tamen rectè

47. Exciipiunt casus Primò, quò filia aut filius hereditati paternae renuntiavit ita, ut necessaria alimenta in necessitate etiam extrema non haberet; cum enim talia debeantur Jure naturali, eis renuntiare etiam cum juramento non potest, Francus *in c. Quamvis cit. n. 1.* Secundò, quò pater filiae ita renuntianti sponte aliquid donat in vita, vel relinquit testamento; cum enim hoc faciens pater juramentum remittere censeatur, sibi donatum aut relictum petenti filiae juramentum non obstat, Franc. *in c. cit. n. 10.* Tertio, quò filia hereditati non simpliciter, sed in favorem fratrum duntaxat & ab his descendendum renuntiavit, & isti deficiunt; cum enim tali casu cesset renuntiationis causa finalis, illis deficientibus patri testato & intestato succedere vi juramenti illi adjecti non prohibetur, *arg. c. Cum causa 60. de Appellat.* Idem *cit. n. 10.* Quarto, quò ea, quae hereditati renuntians filia dotis nomine accepit, legitimam non contineret; tali enim casu eam, relaxationem juramenti, & hac facta, in integrum restitutionem petendi justam causam habere, cum Pagnormit. *in c. Cum contingat 28. de Jure-*

jurando n. 25. censet Covarruv. in c. Quamvis cit. p. 3. §. 4. n. 5.

Quintò, pactum de hereditate viventi affirmativum, sive quò convenitur, ut pacifcentium unus vel uterque, si alteri supervixerit, ejus sit haeres; nam etiam hujusmodi pactiones Jure Civili disertè improbantur, *l. Pactum 15. l. Licet 19. C. hie l. Hereditas 5. C. de Pact. convent. §. l. Ex eo 4. C. de Inutil. stipul.* nisi pacifcentes sint milites; inter hos enim inita, et si valeant revocari, valida tamen sunt: & si in illa voluntate usque ad mortem perseverent, ultima voluntatis instar mandanda sunt executioni, per *l. Licet cit. & ibi notata à Barbosa n. 7.* Ratio inter alios initas pactiones irritandi fuit non tantum; quòd aliter quam Jure proditis modis, lege & testamento, hereditates deferendae non viderentur: sed insuper; quòd hujusmodi pactiõibus libertas testandi vel adimeretur vel constringeretur, contra Jura, quae ultimam hominis voluntatem usque ad supremum vitae spiritum & exitum ambulatoriam esse voluerunt, *l. Quod si 4. ff. de Adimend. legat.* Et demum; quòd hujusmodi pactiões esse periculosa, & captanda vel optanda mortis alienae votum inducere; ac proinde bonis moribus adversari judicarentur, *l. Stipulatio 61. ff. de V. O. §. l. fin. C. hie* ubi inter duos de hereditate alicujus tertii determinati, adhuc viventis, inita pactio, tanquam periculosa & tristissimi eventus plena, ac proinde odiosa reprobatur & irritatur.

Dico, *Determinati*; quia de hereditate tertii indeterminati, sive à quocunque uni ex pacifcentibus obventura inter aliquos inita pacta Jure reprobata non reperiuntur; imò non obscure permisa videntur *l. Ea vero 3. §. 2. ff. Pro socio*, Neque id im-

id immeritè; eùm neque Jure proditos succedendi modos turbent, neque adimant aut restringant testandi libertatem, neque occasionem præbeant captandæ mortis alienæ, Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 579. n. 38.* & alii à Barbosa *in l. fin. cit. n. 7.* & Brunemanno *ibid. n. 8.* relati.

50. Dubium hic & minimè levis controversia est de valore juramenti, adjecti pacto successione affirmativo. Dubitandi ratio est; quòd, juxta dicta & *l. Stipulatio l. fin. cit.* textus, hujusmodi pacta, ac proinde etiam iis firmendis adjecta juramenta sint contra bonos mores: quibus liberæ testamentifactionis ademptio restrictioque & multò magis alienæ mortis captatio & votum, cui occasionem præbent, adversantur; ut proinde locus sit Regulæ, *Non est obligatorium contra bonos mores præsitum juramentum*: quæ est § 8. in 6.

Nihilominus, etiam ejusmodi juramentum valere, eisque contraveniri à jurante sine perjurii sacrilegio non posse, cum Decio *in l. Pactum cit. n. 3.* & Claro §. *Testamentum q. 94. n. 4.* censent Guttierrez *de Jurament. p. 2. cap. 59. n. 5.* Molina *Tract. cit. disp. 151. n. 12.* & Suarez *de Jurament. Lib. 2. cap. 23. n. 2.* eà permoti ratione; quòd hujusmodi juramentum nullo Jure sit irritatum, & sine peccato ac præjudicio tertii possit observari; proindeque de ipso procedat dispositio & Regula *c. Quamvis cit. & c. Cum contingat 28. de Jurejurando.*

51. Neque hujusmodi juramentum, & pactum etiam, bonis moribus adversari rectè desumitur ex ademptio vel restrictione liberæ facultatis testandi; quia iustus restrictio & ademptio provenit ex libera voluntate eam habentis: & honestati Naturali non adversatur, hòc ipsò; quòd ea facultas restringi & adimi valeat

lege humana: eaque laudabiliter se abdicet is, cui competit, emittendò professionem Religiosam, *can. Quia ingrediens 19. q. 3. c. Quia 2. de Testam. & Auth. Ingressi C. de SS. Ecclesijs.*

Neque ex eo; quòd captandæ vel optandæ mortis alienæ votum inducat; quia hoc juramentum & pactum illud non inducit necessariò, neque per se sine ex natura & sine suo; sed solummodo per accidens, ob vitium & pervertitatem paciscentium; neque omnium, sed paucorum duntaxat, habendi cupiditate: quando ita obsecratorum; ut optare etiam machinari non vereantur in mortem eorum, quorum hæreditatem ex portione sibi obventuram expectant. Neque refert; quòd hujusmodi desiderium & consilium præbeant anam & occasionem; quia hæc non propinqua, sed remota tantum est; quæ, si proposita juramenta & pacta quoque ex natura sua irritaret, irritæ etiam impium forent mortis causa donationes: deinde reciproca, sive de mutua successione inita pacta inter milites, contra *l. Lites cit. & demum pacta Gentilitia sive, ut vocantur, Confraternitatis vulgò dicitur Verbrüderung* / quæ inter personas & familias illustres de mutua successione iniri solent; quia captandæ & optandæ mortis voto occasionem etiam illa præbent.

Neque obstant *l. Stipulatio & l. fin. cit.* quia boni mores, quibus de hæreditate viventis inita pacta adversari aliorum, non sunt Naturales; cum illa pacta & juramenta iis adjecta non sint contra Jus Naturæ: & ut dictum, in se spectata & ex fine, ex quo inveniuntur, turpitudinem & indecentiam non continent: sed tantum contra bonos mores merè Civiles; cum Juris tantum Civilius justas ob causas valorem ipsis adimentis disponit.

dispositioni adferentur: de cuiusmodi pactis, licet *citr.* lex utraque, non tamen allegata Juris Ecclesiastici Regula § 8. procedit; cum enim secundum hanc illa duntaxat iuramenta irrita sint, quæ sunt de re illicita & peccaminosa, vel ad peccandum ex sua natura invitant; valori iuramenti, contra bonos mores solum Civiles præstiti, non obstat; ut aliis DD. allegatis ostendunt *citr.* Suarez *cap. 22. n. 1.* & Sanchez *Lib. 1. de Matrim. disp. 32. n. 1.*

Confirmantur ista; quia, ut recte observat Bruneman. in *l. Pactum cit. n. 9.* si de futura hereditate initis, tam affirmativis quam negativis pactionibus, tanquam conventionibus intrinsecam malitiam continentibus, adjecta iuramenta non essent valida; non apparet; quomodo eiusmodi pactiones validæ reddi possint, vi Consuetudinis; cum ista, quoties Juri & rationi naturali adversatur, tanquam corruptela reprobetur, *c. fin. de Consuet.* Vi Consuetudinis autem ejusmodi pactiones validæ censeantur in Germania nostra: in qua hodie à filiabus præfertim nobilibus, acceptâ dote, hereditati paternæ renuntiare: de futura conjugum successione disponi, videmus, Gaill. *Lib. 2. Observat. 126. n. 3.* Imò usu introducta & Cæsareâ auctoritate confirmata pacta Gentilitia inter personas, ut dictum, & familias illustres: vi quorum hereditibus masculis unius familiæ deficientibus, masculi hæredes alterius in bona succedunt, *citr.* Gaill. *Observat. 127. tota.*

§ 4. Sexto multò minus, quam ea, quæ de hereditatibus ineuntur, obligant pacta de succedendo in Ecclesia vel beneficio Ecclesiastico post obitum Prælati vel beneficiati; hæc enim non solum propter captandæ vel optandæ alienæ mortis votum, cui ansam etiam ipsa præ-

bent, *c. Nulla 2. de Concess. Prab. & c. Dæteslanda 2. c. Ne captanda 3. eodem Tit. in 6.* sed idcirco etiam reprobantur; quod sanctionibus Canonis in Prælaturis ac beneficiis hæreditariæ successions etiam species, *c. Accepimus 5. hinc c. Nulla cit. & can. Apostolica 8. q. 1. & initæ pactiones quæcumque pro spiritualibus obtinendis rejiciantur c. fin. cujusmodi indubitatè sunt, quò quis decem promittit, ut sacris Ordinibus initiatur, *can. Si quis Episcopus 8. cum seqq. 1. q. 1.* vel in Monasterium recipiatur, *§. Nullus post can. Quam pio 1. q. 2. & c. Veniens 9. de Simonia*, quò beneficio Ecclesiastico cedens sibi reservat aliàs indebitam pensionem; *c. Cum Clerici 6.* quò beneficium à collatore promittitur; ut suum quoddam negotium promoveatur vel aliud obsequium præstetur, *c. Cum essent 12. de Simonia*; quò quis aliquid pollicetur pro suffragio in electione, aut bona sua offert Ecclesiæ, ut in istius canonici recipiatur, *c. Nobis 27. & c. Tua nos 34. de Simonia*; tales enim aliæque ejus rationis conventiones, cum iis pro spirituali aut huic annexo obtinendo promittatur temporale, manifestam continent labem Simonie, juxta istius à Glossa in *Summam q. 1. cit. V. Quidam* & à S. Thoma 2. 2. q. 100. art. 1. traditam & ab aliis receptam definitionem.*

Non desunt DD. qui pactiones & conventiones quascunque, etiam sine pecunia aut alia re pretio æstimabili pro spiritualibus obtinendis initas, *c. fin. cit.* reprobare velint; propter istius textus generalitatem. At melius alii, à SS. Canonibus extra materiam Beneficialem damnari solummodo censent pacta inhonestas, hoc est, quibus de spirituali pro temporali dando convenitur, ut *Lib. 5. Tit. 3. n. 26.* ostendetur.